

IV. 41.

41.

Vc  
1757



IV, 41.






BIDUUM JOHANNEUM  
*HOC EST*  
RES AB ILLUSTRISSIMO  
SAXONIÆ  
PRINCIPE ATQVE ELECTORE  
**JOHANNE**  
HEROE PIETATE ET CONSTANTIA  
INCLYTISSIMO,  
*IX. & IIIX. KALEND. QVINTIL.*  
*A. C. cl̄o l̄o XXX.*  
AUGUSTÆ VINDELICORUM GESTÆ  
ET  
MEMORIÆ AC GRATITUDINIS  
ERGO  
CARMINE HEROICO INAUGURALI  
*III. KAL. JULII, A. C. cl̄o l̄o c̄o LVI.*  
IN  
MAJORIS PRINCIPUM COLLEGII  
AUDITORIO  
DECANTATÆ.

---

*LIPSIAE,*  
TYPIS IMMANUELIS TITII.



**I**mmortale fave Numen, Rex ætheris alti  
Terrarumque potens, vastum qui digeris orbem  
Prudenti arbitrio, & volucris levitate per ævum  
Ire suo mandas labentia tempora cursu,  
Et lapsa instauras converso cardine rursus,  
Annorum pater & promus condusque dierum.  
Lux dicenda mihi, qua per stata sydera mundi  
Centum & bis denos circumfluis annos  
Sexque abiit, noctique dies immissa profundæ  
Ausonias pepulit tenebras, cœlumque retexit:  
Et dicenda mihi gemina est: quanquam altera gestis  
Pulchrior, eventu præstantior altera facti.  
Namque ubi post castum Jessæa e Virgine partum  
Secula Phœbus equis ter quinque exegerat, annos  
Terque decem, Juni quinta & vicesima mensis  
Dogmata Lutheri, quid Lutheri? ipsa Jehovæ  
Dogmata, quod populis visum mirabile cunctis,  
Imperii exhibuit sociis Caroloque probavit:  
Quodque minus potuit præstare hesterna Johannis,  
Lux hodierna dedit feliciter orta Johanni,  
Ac ducibus reliquis. Sed tu, mea Lipsia, spissis  
Obruta tum tenebris, nec adhuc educta latebas,  
Educenda tamen paulo post Numine dextro,  
Magne Pater Patriæ, campo decurrere in isto  
Tantisper patere, & tenui me tangere versu  
Ornamenta tuæ gentis, dum munere fungi  
Mandato incipio, vacuumque hanc vate cathedram  
Ascendens creperis splendorem quæro tenebris:  
Et si forte minus tantarum nomina rerum  
Versu æquo, pietas placeat tibi nostra, beatis  
Quæ cultum & meritos post funera præstat honores.  
Nec minimam tamen ipse prior, Dux optime, partem  
Aufer, quando, aliis quæ sunt bene parta, tueris,  
Et tanti decoris seriem transmittis in ævum,  
Par celso ingenio, par & virtute Johanni:  
Atque has ô longum partes age, magne renatæ  
Relligionis apex vindexque acerrime, Saxo.  
Et tu qui celso moderaris publica nutu,  
Atque omne hoc animas Schvwendendorfere Lyceum,

Sis

Sis facilis, ventumque precor largire secundum  
Tentanti hoc pelagus, scopulis ne illisa dehiscat,  
Et tanto misere mergatur in æquore puppis.  
Tuque Henricorum veterum generosa propago,  
Ruthene, e blando quem spiras inclute vultu,  
Huc Zephyrum verte, & vela hæc placidissimus imple,  
Pandere quæ Pietas, Majorum chara tuorum  
Nutrix, & Saxo me jussit, splendidus Heros.  
Vosque adeo Consul, vos queis curæ acta diei  
Rostra per & cathedras, & quo mens alta Lutheri,  
Par magno Alcidæ, prostraverat ante Leonem,  
Exili calamo, quæ verbi summa potestas,  
Asserere intrepide: quorum vel maximus hic es,  
Hülsmanne, Ausoniæ terror meretricis & hujus:  
Olim etiam raras contra generose cohortes  
Defensor fidei. Vos sanctæ fulcra Themistos  
Et Legum Atlantes, queis veram ostendere publi  
Jus per utrumque viam, causasque orare voluptas  
Et trepidos servare reos, Vos alta Medentum  
Sidera, Pergameo nil concessura nepoti,  
Nil Coo Hippocrati, aut Spartana e gente Melampo,  
Denique vos Sophiæ Proceres, charissima nobis  
Pectora, sive ætas cano indeflexa capillo,  
Et studii communis amor pietasque verendos  
Vos mihi, amicitiaæ seu me non irrita vobis  
Fœdera confociant, Tuque ô quam pulpita circum,  
Ad decus ac laudem natam, studiosa juvenus,  
Adstantem late & doctorum scamna prementem  
Ad calcem video, Vos, inquam, huc vertite cuncti  
Pectora, & attentas aures adhibete canenti,  
Si placet, & primos vatis non spernitis ausus.  
Jam de Cimneriis paulum se emerferat umbris  
Relligio, & veteres rursus adspirabat ad ortus,  
Libera præceptis hominum fastuque futura,  
Soli addicta Deo, ratorum obnoxia nulli,  
Nulli Pontificum: qualem se ostenderat olim  
Patribus, & primis post incunabula seclis  
Divi Hominis Christi. Jamque indulgentia mendax  
Et fraus Tezelii mundo detecta patebat,

):( 2

Freus

Fraus immo Ausonii Papæ detecta patebat  
 Indice Luthero, & monstri intoleranda potestas  
 In miseris animas. Neque enim durum amplius orbis  
 Ferre jugum poterat tantoque subesse tyranno:  
 Cum nova Tisiphone, regno visura ruenti  
 Consilia atque novas agitat sub pectore fraudes.  
 Ac primum Latium aggreditur furibunda Leonem,  
 Inque iram exstimulat, tenera ut succidat in herba  
 Protinus exurgens Romæ molimina contra  
 Religionis opus: Lutheri dogmata damnet,  
 Exurique libros jubeat, munusque docenti  
 Abroget, & ferro tollendum ignique per orbem  
 Nunciet, ad veteres avias nisi sponte recurrat.  
 Paruit ille Deæ stimulis, mundique dynastas  
 Induperatorem Carolum & mitissima longe  
 Pectora Fridrici, quo non sapientior alter,  
 Et lenire feros a nimo, & succurrere pressis,  
 Sollicitat veræ contra pietatis amantes,  
 Lutherum inprimis, quem recte & carcere dignum,  
 Et brevibus clamat Gyaris tunicaque molesta,  
 Autorem scelerum turbatoremque quietis,  
 Usus in hoc rerum mitratis cardine Mystis  
 Cajeta & reliquis: quorum labor omnis in illo est  
 Exortum ut reprimant jubar & Papalia firment  
 Decreta ac Bullas: vel, si minus illa valerent,  
 Pullitiem infauſtam contra gentemque Lutheri  
 Orco Hecateque satam magnatum triste venenum  
 Insinuent animis atque iris pectora acerbent.  
 Nec prius absistunt, quam celsa fulmen ab arce  
 Fallaci captus Latæ meretricis amore  
 Vibret, & hæretico (sic namque vocare solebant)  
 Luthero Cæsar Lympha interdicit & igni.  
 Quanquam ægre adductus justus servator & æqui  
 Et pietatis amans Latii Jovis annuit ausis,  
 Nec nisi fera probat. Cujus Bononia mentem  
 Postea, & ingenium mite & testata bonumque,  
 Concilium Papam cum posceret, & grave verbis  
 Confessu in medio de religione fideque  
 Judicium ferret, Patrum mirante corona

Ingen-



Ingentes animos Juvenis curamque virilem,  
Sed non Lutheri movit truculentia pectus  
Pœnarumve metus: quin, ceu Marpesia cautes,  
Obvia ventorum furiis expositaque ponto  
Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisque,  
Staret, & impavida rideret mente furores,  
Numinis auxilio fretus Procerumque favore.  
Atque etiam ærumnis animosior impete vasto  
Missarum aggressus census rasæque cohortis  
Impia vota libris, dum Pathmo inclusus agebat,  
Fulcra duo Latiae sedis queis hæctenus omnis  
Vis steterat roburque virum regnique potestas,  
Subruit, invicto ceu quondam robore Samson  
Aulai in medio pilarum structile textum  
Evertit versumque ferum conjecit in hostem.  
Nec minus enituit Lux religionis avitæ,  
Et verbi antiqua pulsa caligine, lampas.  
Emicuit, tenebris nec quicquam obstantibus, Auster  
Qua sese, & Boreas jactant Zephyrique tepentes,  
Nescia limitibus constringi amplissima parvis,  
Saxonicae nec enim tantum se finibus oræ  
Aut parvis tenuit latebris. Ut fulgur in omnes  
Terrasque tractusque maris sese intulit alti,  
Et fulgore suo, quo venit, pectora strinxit.  
Nam cum ante ingestis divini Oracula verbi  
Obsita pulveribus tenebrisque immerfa jacerent  
Indoctis pariter doctisque incognita, vulgo  
Jam poterant conversa legi Germanide lingua,  
Et prisca heu miseras caligine solvere mentes  
Educta e specubus dias in luminis oras  
Ignavorum hominum tonsæque erepta catervæ.  
At tibi Jane Pater Dux Illustrissime, Magne  
Ensifer Imperii, tenuem & sine pondere terram,  
Spirantesque crocos & in urna perpetuum Ver!  
Cujus mens animosa Deo, non passa furores  
Ulterius Latiae procedere Præsidis aulæ,  
Donatamque iterum divino munere Lucem  
Sustinuit Satanæ contra mundique furores  
Afferere, & latas verbo recludere portas,

):( 3

Cum

Cum sociis, quos una fides spes una jubebat  
Ire animis contra & generosam occumbere mortem  
Pugnantes potius, quam cœli prodere causam,  
Aut Latio dare colla jugo rigidoque capistro.  
Quanquam haud præcipiti bellum ratione parabat  
Saxo Pater; sed cuncta prius librabat ad ungvem  
Versabatque animo, melius discernere ferro,  
Irarum an placidis sopire incendia dictis?  
Jamque Augustana conventum indixerat urbe,  
Composito Italiæ bello rebusque peractis  
Cæsar, & Imperii Proceres summosque Dynastas  
Consulere in medium Turcæ molimina contra  
Jusserat aque focus hostem defendere & aris,  
Usque ab Hyperboreis grassantem milite campis  
Teutonicisque plagis ferrum flammisque minantem.  
Jusserat & veteres tandem componere lites,  
Quas in Germanis discordans moverat oris  
Religio, inque unum cunctos concedere verum;  
Et rata concordie traducere fœdera nexu,  
Uno sub capite ut diversa in corpore membra  
Conspirant, unamque petunt diversa salutem  
Utque unum vexilla ducem turmæque sequuntur.  
Hincque adeo causas tranquillis dicere verbis,  
Compositisque animis, nec tanquam ad triste tribunal  
Æsonidæ immitis vel Cressi Judicis urnam.  
Sed trepidare suæ parti, nec fidere dictis  
Illico Saxonie Elector fortissimus Heros  
Et magis insidias clandestinasque vereri  
Pellicis Ausonice fabricas fraudesque nefandas:  
Securos quando tutosque haud esse sinebant  
Clementem Carolumque inter firmata Monarcham  
Fœdera, si verum retulit tum fama per Alpes  
Adveniens, pullos extirpatura Lutheri  
Funditus, & ritus instauratura priores.  
Ambigere hinc, urbem peteret mandata facessens  
Cæsaris, an sociis venienti occurreret armis  
Elector, Latii que gregis præverteret ictus,  
Utile quod multis visum. Sed ad arma ruentes  
Lutherus revocans dictis: Quo tenditis, inquit,

O Pro-

O Proceres, humeros quid cingere compulit armis?  
 Non his auxiliis, nec defensoribus istis  
 Tempus eget. Deus ipse Deus pro dogmate verbi  
 Excubat, & propriam tam duro in tempore causam,  
 Ut vere propria illa Dei est, non vestra, tuetur.  
 Vos arma, in sacris nil proficientia rebus,  
 Mittite: per varios reparanda Ecclesia casus,  
 Sincerusque Dei cultus revocandus in orbem.  
 Orate & vosmet vitæ servate futuræ.  
 Dixerat. At Saxo auxilio confusus Jovæ,  
 Et precebus magis atque fide quam ultricibus armis,  
 Fraude mala plenos depugnaturus in hostes  
 Singula comitiis obeundis rite parabat:  
 Doctrinæ inprimis sanæ conscribere summam,  
 Et fidei e cathedris vibratæ voce docentum  
 Fundamenta jubens, Carolo ostendenda potenti  
 Ac Ducibus reliquis una præsentibus urbe.  
 Nec mora; rem totam denis septemque Lutherus  
 Expedit articulis, primamque operi impiger illi  
 Admoveret ipse manum, quid credat concio, morsus  
 Osorum contra diræque tonitrua linguæ,  
 Perspicua ratione docens atque ordine pandens:  
 Unum nempe Deum, tres uno in numine, Patrem,  
 Et Natum & Flatum, persona ab utraque profectum  
 Majestate pari, paribus virtutibus esse:  
 Solum ex his natum moribundi corporis artus  
 Assumpsisse Deum de casta virgine: Solum  
 Factum hominem mundi sordes in carne luisse,  
 Naturis geminis personæ foedere nexis  
 Unius, vereque Deo patiente dolores.  
 Ingenitam æterna labem morte atque flagellis,  
 Ipse nisi Christus pœnam luat, esse piandam,  
 Nec peccatilli signandam nomine: Vires  
 In nobis nullas penitus hædere, nec ulla  
 Justitiam nobis afferre opera' atque salutem;  
 Solam posse fidem justos facere atque beatos,  
 Non natam humano in cerebro, non artibus ullis  
 Inductam humanis, solius munere JOVÆ  
 Crescentem in nostris animis, fructusque ferentem:

Verbum hanc & verbi menti ingenerare ministros,  
Signaque visa oculis, quæ Sacramenta vocamus:  
Nec liquido tantum perfundere flumine Myſtam  
Infantem: junctam vim verbi eradere fordes  
Infectumque ſcelus, veteris contagia culpæ:  
Cœleſtes epulas non ſolo pane cibare,  
Nec ſolo potare mero: ſed corpore Chriſti  
Sanguineque afflictaſ pretioſo paſcere mentes,  
Pœnam autem haut multo cruciatibus eſſe minorem,  
Quos aut Cæditius gravis invenit aut Rhadamantus,  
Criminis admiſſi non ante ignoſcere culpæ,  
Quam lapſus aliquis minimum numerarit ad ungvem:  
Manſurum in terris ad mundi uſque ultima cœtum,  
Hærentem amplexu Chriſti durosque ferentem  
Perverſorum hominum inſultus Satanæque furores  
Immerſumque malis, nullo ſplendore videndam:  
Venturum ætherea, cum buccina clanget, ab aula  
Divum hominem, ut vitas patrataque crimina diſcat  
Quæſitor, damnetque Erebo (miſerabile!) fontes,  
Atque pios cœli vocet alta ad fidera manes:  
Interea in terris, populum qui lege gubernent,  
Adſtriſtisque hominum mores moderentur habenis,  
Delectos Proceres, ſanctè & reverenter habendos,  
Ipiusque Dei dignandos nomine, donec  
Ipſe ad judicium faciendum accinctus JOVA,  
Majeſtate potens & ſummo clarus honore  
Adveniat, mundi que levet hoc faſce Dynaſtas:  
Inventum Satanæ & Monachorum eſſe otia, Clerum  
Conjugio prohibere, ciboque aſtringere certo  
Caſtas velle animas, æternaque gaudia votis  
Obſcœnorum hominum & larvis promittere tonſis,  
Rem deteſtatam peſſumque ad Tartara dandam  
Eſſe operam, raſa quam ſumat gente ſacerdos  
Miſſifico in ſacro, ritu cum fervet inani,  
Et modo voce Deum clamat, modo pronus ad aram  
Murmura præpropere contortuplicata rotatu  
Plurima ſecum intus tacito ſub pectore volvit.  
Tollendos penitus ritus, quicunque repugnent  
Verbo, Chriſte, tuo, veterum ex errore proſecti,

Servan-

Servandos reliquos, ne pax turbetur in orbe.  
 Hæc & plura pius tum chartis puncta Lutherus  
 Deformat, socioque jubet polienda Philippo  
 Tradere, & extremam cœptis limam addere dictis.  
 Nam velut extractis fastigia ponere tectis  
 Artifices, rudibusque solent mira arte figuris  
 Peniculo vivos super induxisse colores:  
 Sic pulchrè inventis rebus scriptisque Lutheri,  
 (Dicere quid verear, cum nec neget ipse?) disertus  
 Addidit ornatum pulchrum plerumque Melanchthon,  
 Et molem inceptam tenues eduxit in auras,  
 Ordine cuncta suo disponens: quanquam ea cuncta  
 Visa iterum atque iterum prior ille probaverit autor.  
 At pius Elector rebus sic rite paratis  
 Augustam ingreditur primus, comitemque Philippum  
 Atque Spalatinum Jonamque adducit, & urbe  
 Islebia Agricolam secum, natumque Johannem  
 Fridricum in primis, Patris Patruique verendi  
 Germanum specimen. Reliqui quos ordine cuncti  
 Romani Imperii Proceres ac fulcra sequuntur,  
 Marchio præclara virtute GEORGIUS heros,  
 Illustrique sati, majoribus æmula proles,  
 Stirpe Duces Lunburgiaca FRANCISCUS & alter  
 ERNESTUS, bellique ausis metuendus & armis,  
 HASSLACUS, firmo devincti fœdere cuncti.  
 Donec & ipse urbem Rheni pacator & Istri  
 Induperator inquit Carolus, cui frater, & aula  
 Missus ab Ausonia (male namque sibi illa timebat)  
 Addiderat sese comitem Campegius acer  
 Excepti ad pontem tota stipante caterva  
 Magnatum imperii. Sed nondum commoda rebus  
 Tempora tractandis. Nam pomum immitis Erinnyis  
 Spargit, & heu veri cœlestia dogmata verbi  
 Pandentes prohibere jubet vocemque per urbem,  
 Principibus multum Carolo adversantibus, & vel  
 Doctrinæ puræ vitam pro laude pacisci,  
 Quæ generosa fuit vox & laudanda GEORGI,  
 Atque extrema pati cupientibus omnia, quam Te  
 Quam verbumque tuum de rasæ prodere turbæ,

Christe, Patris soboles. Vicit tamen improba, vicit  
Tantis per Latiae Thaidos sententia, & urbi  
Stentoreo imposuit populum clamore vocantes  
Ad ritus veteres & sacra infanda ministros.  
Illo nempe die jussus Deus esse, quod audit  
Sigalion, vel qui sublato pollice linguis  
Imperat Harpocrates, statua taciturnior omni  
Perque augusta sacrum rauescere mœnia Verbum.  
Atque etiam inter se commissi claviger Heros  
Petrus, & ense potens Paulus Tarsensis, ut ille  
Pectora dura hominum dictis referaret, at iste  
Mollibus alloquiis non inflectenda secaret.  
Prima tamen, tribuente Deo, solatia fessis  
Expectando animis quarta & vicesima mensis  
Attulit, à juvenum jucundo nomine dicti,  
Lux, Zachariadæ festo sacrata Johanni.  
Namque illa folio Cæsar confedit in alto,  
Et procerum imperii manus augustissima juxta,  
Et prius auditis, placido Campegius ore  
Diffidia imperii contra quæ forte serebat,  
Mox jussi SAXO atque Duces huic fœdere juncti  
Edere, quæ fidei studia in contraria scindi  
Germanos jubcat Confessio, semina litis  
Quid terat, & regni faciat discedere partes,  
Inque Othomanigenam, Phlegetonica semina, gentem  
Vertendum, in socios & viscera propria ferrum  
Torquere, & patrios perfundere sanguine campos?  
Tum Carolo illi omnes, postquam data copia fandi,  
Et plebs conticuit, devoto assurgere cultu,  
Et scriptum gemina lingua ostendisse libellum,  
Doctrinæ veræ sponforem & nobile pignus.  
Et prior, Hic, inquit SAXO, imperterritus Heros,  
Nostræ, Cæsar, habes fidei argumenta, sereno  
Quæ Tu, per sacrum quod Te diadema rogamus,  
Per si quid sacro majus diademate, & ipsum  
Immo Dei invictum Numen, dignabere vultu,  
Et placida aure bibes, clara dum voce legentur  
Aulæ in medio, mentesque haut irrita tangent.  
Nulla hic abnormæ cernes deliria sectæ,

Er-

Errores nullos. Quodsi fors abstulit ullus,  
Pectora, confestim moniti meliora sequemur,  
Atque herbam victi dabimus. Sin omnia Verbo  
Congrua cœlesti & sacris ex fontibus hausta,  
Ut sunt hausta sacris ex fontibus omnia, Cæsar,  
Ne patere hæreticis adscribi innoxia turbis  
Nomina, nec terris divina oracula nostris  
Invide, in immeritos aut ferrum stringe colonos.  
Dixerat: at nondum penitus placidissimus Heros  
Annuit: Ipse sibi tradi vult scripta, nec ante  
Posse ait imperii sese componere lites,  
Aut aures præbere datis. Cui frater, at istos  
Differ, ait, flammæque oleum inclementior addit  
Et negat audiri doctrinam posse, sedentumque  
Impiger auriculam nunc huic, nunc vellicat illi,  
Et faciles animos germani incendere mandat.  
Nec tamen humanos sensus & mitia magni  
Cæsar's expugnant corda, aut audire volenti  
Omnem animo ejiciunt curam, quin crastina, victus  
Saxonis Ensiferi precibus, cum aurora rubebit  
Puniceis invec̃ta rotis, recitabitur, inquit,  
Vestra, Duces magni, nobis Confessio, & intra,  
Quæ nunc hospitium præbent, palatia patrum  
Judicium, nostrumque feret pellecta favorem.  
Ergo dies aderat Parcarum conditus albo  
Vellere, & æterna celebrandus laude per ævum;  
Quo sese e tenebris fatoque emerfit iniquo  
Relligio, summis jam decantanda Dynastis,  
Jam latum, liquidis qua se circumfluit undis  
Porrigit & Phœbum sentit, spargenda per orbem.  
Nam postquam ætherio quinta & vicesima olympo  
Tithoni croceum linquens Aurora cubile  
Ortus extulerat, mediumque reliquerat axem  
Jam prope Phœbus equis, solium se rursus in altum  
Contulit, & Procerum regni stipante caterva  
Cæsar, apex rerum, pietate insignis & armis,  
Promissi memor hesterni, recitare benigno  
Scripta jubet vultu claraque exponere voce.  
Hinc medium se infert jussus Beierus in aulam,  
Ingenio pollens & doctæ flumine lingvæ,

Prin-

Principis os geniusque sui multumque modesto  
Præcipiens sermone, loco si forsan in isto  
Tantarum nequeant componi nomina rerum,  
Concilium sperare suos, tam voce sonora  
Tamque gravi scriptum de Relligione libellum  
Augustæ recitat Caroli Procerumque coronæ,  
Ut passim audiri loca per vicina valeret:  
Atque, Hæc unanimi, Cæsar mitissime, sensu  
Nostra docent, inquit, suggesta, hæc ora fatentur  
Atque manus, summi dictis confisa Jehovahæ:  
Hæc nos hæreticis fecernunt credita turbis.  
Quid namque? Hæreticum, Cæsar Magne, esse putabis  
Credere, quod Mens una Deus, quod Numine in uno  
Tres sint personæ, Pater atque æquæva potestas  
Filius, & Patris Natique reciprocus ardor,  
Terrarum cœlique Sator, sine corpore, nullis  
Inclusus spatiis, nullo mutabilis ævo,  
Omniscius, sapiens, justus, bonus atque benignus?  
Credere, quod primo labes contracta parente  
Post dulces vetita decerptos arbore fœtus,  
Semine mortali genitos corruperit omnes,  
Et, nisi lethiferæ contagia tristia culpæ  
Æterno genitore satus delessit, ad Orcum  
Nunc quoque & æternas Erebi detruderet umbras,  
Extorres cœlo, sine spe, sine amore fideque?  
Credere, quod sancte bis Iex Galilæa virum vis  
Credidit, humanam quod miro fœdere carnem,  
Filius ipse Dei sibi consociarit in alvo  
Virginis, inque illa letum superarit & Orcum,  
Cœlum inter terramque gemens, &mersus acerbo  
Funere post ternos Soles remearit in auras,  
Sidera celsa petens victor, Patrisque potentem  
Ad dextram residens, dum rauco buccina cantu  
Perstrepat & functos vocet ad prætoria manes.  
Credere item, propriis quod nemo viribus unquam  
Aut meritis placare Deum, justique tueri  
Schema queat, sed sola fides Christique cruenta  
Victima peccatum jugulent, cœloque redonent?  
Quodque fidem hanc Verbo castissima flamma Jehovahæ  
Spiritus accendat, sacramentisque labantem

Ful.



Fulciat, & nulli, nisi queis audire voluptas  
 Vocem Evangelii, tepefacta in pectora mittat.  
 An forte hæreticum est sic credere, fructibus absque  
 Nunquam posse fidem veram consistere, nunquam  
 Hanc sterilem aut vacuum se nobis sistere plantam :  
 Nec tamen hos fructus vitam parere atque salutem  
 Æternamque decus ? Non, Cæsar Maxime, non est.  
 Ipsa Redemptoris si servum dicere nequam,  
 Omnia qui fecit, vox audet dicere, qualem  
 Nos, Cæsar, qui nil fecit vel pauca, decebit ?  
 Nec magis hæreticum est omnes uno ore fateri,  
 Una quod & sancta est Ecclesia, sparsa per orbem,  
 Perpetuo mansura, Dei fidissima verbi  
 Custos & commissa sibi sacra symbola tractans  
 Illo rite modo, quo Christus jussit ; & unam  
 Quod doctrina facit, non ritus, non decor unus.  
 Una fides namque est, Baptisma unum, & Deus unus.  
 Quod parva infantum fluvio mersare salubri  
 Corpora, & antiquam mersando extinguere labem  
 Ac fœdus renovare Dei summumque favorem,  
 Sanctum opus & rigida servandum lege. Quod adsunt,  
 Cum celebrat sacræ convivia mystica mensæ  
 Concio, non panis tantum, sed corpus, & haustus  
 Sangvinis, haut vini tantum. Quod dicere in aurem  
 Privatim peccata licet, veniamque rogare,  
 Singula quanquam aliquis, quis enim scit singula ? mystæ  
 Non numerare valet. Post diæ flumina lymphæ  
 Quod lapsis reditus patet ad sacraria templi,  
 Adque illam, in sacro quæ regnat gratia templo,  
 Si vitæ revocant se deterioris ab usu,  
 Et veteres avias tandem e pulmone revellunt.  
 Quod poscunt, promissa Deo si munera speres,  
 Sacramenta fidem, nec opus solum efficit illa.  
 Quod nemo populum sacra debet jura docere  
 Suggesti e specula, nemo dare signa petenti  
 Mystica, rite prius nisi concio tota vocavit.  
 Quod ritus servare decet, quos ordo requirit,  
 Et festos celebrare dies, sed sidera tale  
 Nullum opus aut labis veniam indultumque meretur ?

Hoo

Hoc vero hæreticum Cæsar quis Maxime dicet  
 Cum leges servare tuas, cum iussa jubemus,  
 Et sceptræ atque Aquilas, & quæ, fortissime, dudum  
 Pro trepidis geris arma focis aut dulcibus aris,  
 Afferimus, pœnasque malis & præmia justis  
 Dictamus? testis cum fungi munere cives  
 Urbe una inclusos, proprium cum quemque tenere,  
 Cum tecta & placidas emere & divendere merces,  
 Et castam ingenuo sibi fœdere jungere nuptam,  
 Aut jungi alterius thalamo fas esse docemus?  
 Cumque reversurum post hæc civilia Christum  
 Regem ad iudicium, & manes e sedibus imis  
 Trácturum in lucem, sanctis æterna daturum  
 Gaudia, sed reprobos missurum ad tartara, nullo  
 Cum grege noctivago plectendos sine fatemur?  
 Denique cum nostris nil viribus, omnia sancti  
 Numinis auxilio tribuenda docemus, in alto  
 Pectore si melior saliat fors ulla cupido,  
 Et nos justitiæ, extorres quæ reddit Olympo,  
 Tangat amor. Quid enim? In nobis Deus omnia solus  
 Quæ bona cunque facit, peccati nostra voluntas  
 Et Satanæ causa est. Motum ille, hæc turpia motus  
 Ingenerat nobis deliramenta misellis:  
 Quæ nova cottidie tamen emendare jubetur  
 Vita, novæ vires, operum nova cura bonorum,  
 Colluvies nec enim aut Epicuri de grege porci,  
 Cæsar Magne, sumus, quibus hæc prohibere voluptas,  
 Atque pati, ad morem discincti ut vivere Nattæ  
 Plebs insana queat. Nec sanctos spernimus ullos,  
 Aut vita insignes merito fraudamus honore:  
 Non obtusa adeo gestamus pectora, Cæsar,  
 Nec tam aversa bono. Veterum meminisse piorum  
 Nempe jubet Pietas; sed summo æquare Jehovah  
 Nulla jubet, cultumque Deus vetat ipse profanum,  
 Sequæ coli solum mandat solumque rogari.  
 Et dubitabis adhuc, quod dira calumnia morsu  
 Nos petat, hæreticos & fœdo nominet ore  
 Cæsar? An hæreticum, verbis conforme Jehovah  
 Ipse quod esse vides, dici patiere? Quid? Illud

Hæ-

Hæreticum dici patiere, quod ordine longo  
Scripta Patrum firmant, sanoque Ecclesia sensu  
Vel Romana tenet? Culpandos tollat abusus  
Hinc aliquis, vox ipsa Dei quos tollere mandat,  
Non alia, e scripto quam nunc recitavimus isto,  
Relligio, toto quam fassi pectore & ore,  
Relligione tua est Cæsar, nec distat in ullo.  
Dixerat: at Proceres moti gravitate loquentis  
Obstupuere animis, intentique ora tenebant.  
Atque aliquis secum: Non hæc sunt dogmata, non sunt  
Quæ mendaciloquis retulit mihi fama susurris,  
Improba, & a vera pietate aliena fideque:  
Hæc vera, hæc dictis conformia cuncta Jehovahæ,  
Non aliter Petri gens Ebro nata loquelam  
Tum stupuit Solymis, cum sese luce per auram  
Lene susurrantem & tecti penetrabile replentem,  
Omnipotens vigor ille Dei, Deus ipse videndum  
Præbuit, & flammæ specie linguisque bifulco  
Segmine divisis sanctis insedit alumnis,  
Et vires animis & lingvæ plectra, novorum  
Conscia sermonum, momento reddidit uno,  
Scurraque musto aliquis plenos madidosque Lyæo  
Esse viros dixit, atque ebria verba profari.  
Ipse quoque imperii jam non subtristis, ut ante,  
Cæsar Atlas folio surgit, placidoque libellum  
Offerri vultu poscit, sibi que ardua rerum  
Hæc momenta refert curæ cordique futura,  
Fridricum, antiqui genitum de stirpe Palati,  
Ad responsa vocans. Quæ blanda dat ille professis  
Sanam Principibus doctrinam & nobile pignus  
Cœlestis fidei. At librum promptissimus offert,  
Pontano acceptum, secretis Schweisius aulæ  
Cæsareæ addictus: quem Cæsar suscipit, & se  
Jam Confessores placatum ostendit in omnes.  
Ergo animi lætus Dux Ensifer ipse JOHANNES,  
Quas tibi pro tanto referemus munere grates,  
Cæsar, ait, quos Magne tibi germane, Dynastis  
Quas vobis reliquis, quos nostra audire benigno  
Et placido! piguit vultu. Quid nostra? benigno

Do.

Dogmata quos vultu haut piguit audire Jehovahæ.  
Non opis est nostræ, Cæsar: nec si tibi vitam  
Hancque animam pietas impendat, & omnis in unum  
Sanctarum digestus opum partæque per omnes  
Divitiæ populos magnique impendia mundi  
Accumulent, fatis esse queant. Deus ipse rependat,  
Et facilem porro te regni flectere habenas  
Induperatorem faciat. Laus illa potenti  
Propria sit Carolo non qua jubet alta potestas  
Ire, sed armatas multum sibi demere vires,  
Dignarique manus humiles & verba precantum,  
Et ferrum mulcere toga. Sic itur in alta  
Pectora, sic mixto reverentia fidit amori.  
Dixerat. At lectus terras liber exit in omnes,  
Perque virum victor volat ora, nec urbe teneri  
Una se patitur vel Saxoniam angulo in uno;  
Sed modo Gallorum, modo Cimbrorum arva, tuasque  
Itala terra domos, & regna peragrat Ibera,  
Boiemos modo versus adit gentemque Borussam,  
Et longe nostro semotos orbe Britannos,  
Hesperiiis pariter populis & notus Eois  
Nullius ora verens, non infestatus ab ullo.  
Jamque adeo in sacri lassus maris atque viarum  
Imperii includi se passus scrinia & orbem  
Miratus totum se pervoluisse quiescit,  
Luce bona lætus nimium, qua rumpere primum  
Augusta licuit diuturna silentia in Aula,  
Atque Augustana sortiri nomen ab urbe.  
Salve ergo miseris cœlesti munere terris  
Reddita Lux, albo salve signanda lapillo,  
Et memoranda diu geniumque habitura perennem!  
Non par ulla tibi, Deus ex quo virgine notus  
Induit humanos artus, & sanguine fuso  
Leniit iratum patrem, mundique per omnes  
Sparsit opus latebras, cœlo sese extulit alto:  
Nec melior tenebris sese efferet ulla fugatis,  
Ignea dum terras lustrabunt sidera, dum Sol  
Mane diem promet rursusque sub æquore condet.  
Per te Relligio mersum caput extulit umbris

Pon-

Pontificum corrupta dolis intextaque vanis  
Commentis hominum, prisca & se luce videndam  
Præbuit oppressis misera caligine terris.  
Per te sincero veneramur Numina cultu,  
Nec ligna & variis simulachra efficta figuris  
Credimus esse Deos. Convivia Mystica per te,  
Panem atque aurati calicis sacra pignora ut olim  
Integra jam accipimus, nec ludo agitamur inani  
Missificum, quæstus tantum nummosque petentum.  
Per te perque tuum peccata incognita lumen  
Novimus in penitis nobis hæere medullis  
Plurima, nec quenquam numero comprehendere certo  
Posse ea, vel labem numerando abolere profundam,  
Unius, ut fas est, abolendam sanguine Christi:  
Multa tuo mutant, quæ Papa invexerat, ortu,  
Atque alio incipiunt se nobis sistere vultu.  
Tu vetitos ignes & furtivos Hymenæos  
Damnas, & Monachos, tædas exosa jugales  
Monstra, domas, verbique doces sua colla ministros  
Subdere posse jugo. Raræ tu vota cohortis  
Impia, & in sanctas divini injuria leges  
Codicis ostendis: nec si quis vescitur esca,  
Quam Deus & melior nobis natura creavit,  
Esse scelus monstras, certisque indicta diebus  
Neminem in æthereas jejunia tollere mensas.  
Tu gladium & claves longe distincta, nec uni  
Esse homini commissa doces, cui pascere verba  
Commissum sibi rite gregem, non arma vibrare,  
Arbiter ipse Deus mandavit, & inter utrumque  
Servanda haud dubiis ponis discrimina signis.  
Singula tu nobis, olim corrupta vetustas  
Quæ dabat, instauras, & quæ credenda libello  
Haud magno explanas, quæque evitanda vicissim:  
Illa prius creta, mox hæc carbone veruque  
Abjicienda notans, aut emendata reponens.  
Salve ergo atque iterum lux optatissima salve,  
Et melior nostras meliorque revertere in oras  
Semper in occiduo collustrans lumine mentes,  
Et longe horrificas tenebras longeque repellens,

) (

Quos

Quos meretrix nobis Romana offundere gestit  
Sancto infensa libro, dum mundi hac mole soluta  
Fessos æternæ nos sistas ultima luci:  
Atque eadem angelico coram grege & agmine casto  
Credentum facias hilares hæc ore fateri.  
Vosque adeo o sancti manes salvete JOANNIS,  
Et tanti memores cœli inter summa, diei,  
Gaudia, devotos vobis agnoscite cultus,  
Et grates capite, hæc quas promere pectora, quasque  
Et quales quantasque potest hæc lingua referre  
Immensis meritis. Vobis, dum candida mundum  
Ulla colet Pietas, dumque instaurata vigebit  
Relligio in terris tam pulchri conscia facti  
Gloria perpetuas laurus, magnisque triumphis  
Æmula gestarum decernet præmia rerum,  
Teque, invicte, canet, Princeps, qua fervidus orbem  
Sol videt, & terras Nereus circumfluit omnes  
Heroes alios supra celsosque Dynastas,  
Quos unquam æthereas Constantia surgere in auras  
Jussit, & angelica porrectum sumere dextra  
Immortale merum. Tu cum Romana veneno  
Omnia misceret Circe, mentesque potentum  
Imperii Procerum, Dea sæva nocentibus herbis,  
Alliceret, Latias vitasti providus artes,  
Et socios, quos una fides, mens junxerat una,  
Servasti incolumes tecum ringentibus undis,  
Fortior Æolide, cujus vitare Charybdim  
Vix focii potuere, & fœdæ pellicis astus:  
Fortior & reliquis, quos bello vivida virtus,  
Invictumque animi robur contemnere in hoste  
Sparfas ore minas Heroes jussit & arma,  
Tu, cum mœsta odiis hominum flagrabat & ira  
Relligio, angustis latitans in finibus oræ  
Saxonicae primum, reliquis invisâ tyrannis,  
Nil veritus Papæ insidias, nil fulmina, in orbis  
Ire plagas omnes jussisti, & cedere nulli,  
Infragilis, constans, mutari nescius, omnes  
Fortunæ ad casus, dura omnia, rite paratus,  
Nec prece, nec pretio, nec vi ulla mobilis aut re:

Haud

Haud secus ac rupes, magno veniente fragore  
Quæ sese ingenti, circum latrantibus undis,  
Mole tenet, scopuli nec quicquam & spumea circum  
Saxa fremunt laterique illisa refunditur alga.  
Salve ergo & tanto cape præmia digna labore,  
Saxonica æternum decus aulæ, & gentis avitæ  
Wittekindorum non inficianda propago,  
Angelicos inter proceres, mentesque beatas,  
Cœlica quæ Christi confessæ dogmata pulchras  
Exsuperant candore nives, cœlique serena  
Parte Dei aspectu nunc & splendore fruuntur.  
Tecum hic Mauritius, Genio qui pulpita & omnem  
Hanc implet Sophiam, tecum tua magna voluptas  
Filius & reliqui, quorum reparata labore est  
Relligio, aut lætis sese extulit incrementis,  
Saxoniam, superæ donati sedibus aulæ,  
Exultent Proceres, & quas meruere fatendo  
Nunquam marcentes amaranthi ex flore coronas  
Ostentent, lauroque tuo, invictissime, jungant.  
At tu, Magne Parens, oneri succedere tanto  
Qui dudum & curas pro religione reducta  
Sumere non parvas JANI devota GEORGI  
Pectora jusfisti, tantique extendere facti  
Gloriam, & insanos mundi Satanæque furores  
Contra, Augustanum proferre in secula nomen :  
Respice grandævi, Pater optime, respice canos  
Principis, & vires, quas vergens deterit ætas,  
Fortiter instaure, nec, dum nos plurima terrent,  
Plurima circumstant iterum mala, & omnia pestem  
Armorum veterem veteresque minantur agones,  
Has liqui, Pater alme, nives permitte, sed orbi  
Longum hoc imperioque caput venerabile serva :  
Nec pacem nobis, per tanta impendia partam  
Saxoniam ante ducum, rasam intervertere gentem,  
Aufoniumque finas portentum & pestile virus ;  
Sed quæ Augustana cœperunt fœdera in urbe,  
Relligione super primum, mox, improba cum Sphynx  
Omnia turbasset, cœlum orco, tartara cœlo  
Conciliare volens, fœdo & Germania bello

Ar-

Arfisset, Passavi intra firmata penates,  
Atque iterum Augustæ (quoniam nutricula sanctæ  
Illa tibi semper visa est aptissima pacis)  
Atque iterum alta tuis, urbs Osenburgica, muris,  
Perpetua esse jube, nullo rumpenda per ævum  
Tempore, nulla unquam vi conturbanda malorum.  
Audi hæc, & facilis precibus porro annue nostris,  
Ut facilis, Pater, esse soles orantibus, & quæ  
Doctrinæ servire tuæ, servire Camœnis  
Nosti, præsentis semper semperque benigno  
Hæc tecta, has aras, hæc pulpita numine firma  
Insidias Satanæ contra fraudesque nefandas  
Gentis Esaviticæ, vel si qui forsitan imo  
Hæc tecta, has aras, hæc pulpita subruta fundo  
In chaos antiquum verti flammaque cremari  
Plures exoptant. Da consilia irrita cuncta,  
Irrita cuncta cadant, atque hæc tibi nostra quotannis  
Vota ferat pietas deque imo pectore grates,  
Usque Johannæi bidui memor, usque Johannis,  
Usque tui, primo qui par virtute Johanni,  
Quique Johannem alii primum virtute sequuntur  
Mauritio, Augusto, qui par, reliquisque Dynastis,  
Usque tui, SAXO, JANI memor usque GEORGI  
Et patris & nati & teneri memor usque nepotis,  
Quique hos excipient memor usque atque usque nepotum,










2  
C 1757

MT





Farbkarte #13

B.I.G.

BIDUUM JOHANNEUM  
 HOC EST  
 RES AB ILLUSTRISSIMO  
 SAXONIÆ  
 PRINCIPE ATQVE ELECTORE  
**JOHANNE**  
 HEROE PIETATE ET CONSTANTIA  
 INCLYTISSIMO,  
 IX. & IIIX. KALEND. QVINTIL.  
 A. C. cl̄o l̄o XXX.  
 AUGUSTÆ VINDELICORUM GESTÆ  
 ET  
 MEMORIÆ AC GRATITUDINIS  
 ERGO  
 CARMINE HEROICO INAUGURALI  
 IIIX. KAL. JULII, A. C. cl̄o l̄o c LVI.  
 IN  
 MAJORIS PRINCIPUM COLLEGII  
 AUDITORIO  
 DECANTATÆ.

LIPSIÆ,  
 TYPIS IMMANUELIS TITII.

